



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Ecclesiae Paderbornensis

Dietrich <Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1602

De violatione Ecclesiarum.

urn:nbn:de:gbv:23-drucke/s-483a-2f-helmst3

3. Nominatim interdicti sunt vitandi in diuinis à clericis celebrantibus, sicut excommunicati, non autem extra diuina.

Celebrans ergò si admittit aliquem interdictum ad diuina, incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiae.

4. Nemo tenetur seruare interdictum ecclesiasticum à iure vel ab homine generaliter promulgatum, nisi talis sententia fuerit contra personam, collegium, ecclesiasticam communitatem, vel locum certum à iudice publicata vel denunciata specialiter & expressè, non obstantibus quibuscunque in contrarium.

Quia ergo in his locis rarus est huius interdicti usus & antedenuciationem per iudicem faciendam nemo peccat non seruando, non videtur necesse plura addere.

Ecclesiastica interdicta non indigent reconciliatione, sed interdictum nudo verbo potest tolli dicendo: Reuoco, vel remoueo, vel absoluo. Non enim opus est aliqua forma certa verborum.

DE VIOLATIONE ECCLESIA RV M.

Quibus modis sic polluantur, vt reconciliatione indigeant.

1. Ex effusione sanguinis magna & iniuriosè facta in Ecclesia, si factum est publicum, quod si vnum ex his desit, non polluitur.

2. Polluitur & ex homicidio voluntario sine sanguine, vt si fur suspendatur, &c. non autem ex homicidio fortuito, verbi gratia, lapide cadente de pariete, aut petra vel trabe detecto.

Si quis percussus in Ecclesia extra moriatur, est polluta Ecclesia, non contra. Si quis supra Ecclesiam, vt pote si quis infra tectum, & supra testudinem aut supra tectum interficiatur, quia fit extra, non polluitur. Si quis enormiter per-

cutiatur sine tamen sanguinis effusione, non polluitur. Licet consuetudo eorum laudanda sit, qui Ecclesias hoc casu reconciliant, ad aliorum terrorem.

Per effusionem voluntariam seminis humani, si factum publicum sit, quia Ecclesia non iudicat de occultis.

Quando ibi sepelitur excommunicatus, hæreticus manifestus, vel paganus siue infidelis, qui tamen si fuerit in utero matris fidelis sepeliendæ, ut quando moritur prægnans, sepelitur cum matre tanquam pars & membrum eius, nec ob id Ecclesia polluitur.

Si in Ecclesia, vel altare, vel cæmeterium ab Episcopo publice excommunicato consecretur, vel etiam benedicatur, quia ante reconciliationem nec celebrare, nec sepelire illic licet.

DE IRREGVLARITATE.

Irregularitas est impedimentum canonicum, quo quis ad Ecclesiasticos ordines promoueri, vel iam promotus in eis ministrare prohibetur.

1. **Infamia** iuris vel facti tollit executionem ordinum.
2. **Ordinatio** ab Episcopo excommunicato, scismatico, hæretico, deposito, suspenso, interdicto, secus tamen si adhuc ab Ecclesia toleretur.
3. **Executio** ordinis sacri non habiti.
4. **Si** suspensus, excommunicatus maiori excommunicatione, vel interdictus ingerit se diuinis, celebrando, vel aliquid faciendo attributum ordini fit irregularis.
5. **Si** celebrat, vel aliquem ordinis actum exsequitur in loco interdicto.
6. **Si** recipit ordines etiam minores in excommunicatione maiori.
7. **Postremo**, quomodo fiet aliquis irregularis ex mutilatione, homicidio, vel ex causa sanguinis, ut nec ordinari, nec in ordinibus susceptis ministrare possit, petendum est ex